

Band III., Nr. 782, Seite 272-275

Sühnvertrag zwischen den Herren Gottfried und Konrad, Gebrüdern von Hohenlohe, wegen Röttingen und anderer Punkte.

Ohne Ortsangabe, 1230. December 29.

In nomine sancte et individue trinitatis. Amen. Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus, dominum Gotefridum et dominum Cūnradum, fratres de Hohenloch, super omni discordia sua quam habuerunt, sub hac forma esse amicabiliter concordatos. Ipsi etenim iuramento prestito confirmarunt, quod mandatum fratris Andree et fratris Heinrici exequerentur, ut quicquid eis preciperent, quod eis videretur utile et honestum, hoc ipsi sine omni contradictione tenerentur observare et operibus adimplere. Predicti vero A. et H. fratres domus Theutonice statuerunt, ut duodecim milites eorum honesti et fideles iurarent, ut omnia dampna utrobique contra iusticiam facta referrent. Et sunt hii qui super hoc iuraverunt: Gernodus de Zymmern¹, Heinricus de Hengesfelt, Cūnradus de Ehenheim, Hildebrandus de Söwensheim, Gotefridus et Hermannus Leschen, Rvdegerus de Mergentheim, Heinricus de Hottingin, Heinricus de Rietheim, Hermannus de Seheim, Heinricus Schade de Elpersheim, Diepoldus de Vritenbach, qui omnia secundum equitatem librantes et computationem facientes, utrorumque querimonias recitabant coram fratribus predictis A. et H.

 Qui fratres hoc de Rotingen statuerunt, ut omnia que ibi habent dominus G. et dominus C. de Hohenloch, tam in castro quam in proprietatibus, advocatia et decima, aquis, pratis, silvis et hominibus atque in omnibus aliis attinentiis, ut hec sint eis equaliter communia, et si dampnum aliquod excrevit in emptionibus, usuris vel expensis proinde factis, quod hoc equaliter persolvant, preterquam de decima per venditionem et redemptionem a domino Gotefrido facta, super qua dominus G. dampnum et proficuum solus habeat.

 Item quantumcumque emptio in Rotingin dominus G. plus constitit quam dominum C., si probaverit illud dominus G., hoc totum tenetur dominus C. reddere fratri, et de illa redditione habeat dominus C. inducias usque ad octavam Pentecostes. Quod si tunc non reddiderit, dominus G. eligat, utrum velit in Wikardisheim vel in Rotingin accipere tantum de proprietate quantum sufficiat pro debitis illis, ita scilicet quod computetur pro singulis decem marcis, quod reddat unam libram Herbipolensium. Statuerunt etiam, quod si dominus Gerlacus de Būtingin terciam partem advocatie in Rotingin sibi velit usurpare, quod

¹Herrenzimmern, Niederstetten, TBB.

II

tunc dominus C. domino G. recompenset illam terciam partem advocatie de sua parte. Quod si dominus C. facere noluerit, statuerunt, quod dominus G. proprietatem illam, secundam^a quam in Rotingen emit, solus habeat tam in castro quam in hominibus et aliis attinentiis, et dominus C. habeat advocatie suam partem.

 Item statuerunt, quod decima in Rotingin sit eis ambobus communis, et dominus C. fratri suo G. in eadem decima nullum faciat preiudicium aut inpedimentum [feudum] illud indebite resignando, nisi forsitan dominus C. velit idem feudum domino feudi cum aliis feudis, que ab illo habet, integraliter resignare.

 Item neuter fratrum quicquam in Mergentheim vel Reigirberc vel Rotingin emere debet sine consensu alterius, nisi forsitan Rotingin antea cesserit eidem.

 Item statuerunt, quod dominus G. reddat domino C. secundum computationem factam, de omnibus que in Rotingin accepit centum et octo libras Hallensium et quinque solidos Hallensium et quinque carratas vini, et statuerunt, quod neuter eorum quicquam percipiat in Rotingin usque ad Pentecosten proximum, preter stramen et fenum; et infra idem tempus A. et H. fratres predicti potestatem habere volunt, ut si alterum fratrum G. vel C. Rotingin cum omnibus attinentiis habere faciant pro recompensatione aliorum bonorum, quod neuter eorum hoc contradicere possit.

 Item statuerunt, quod neuter eorum recipere debeat vel habere vassallos, id est muntmannos, in bonis suorum nobilium hominum vel in bonis domus Theutonice.
 Item cum dampnum utrorumque hominum rusticalium, quod a dominis suis vicissim acceperunt, fere sit equale, statuerunt, quod uterque homines suos, qui sunt rustice conditionis, compescat sine coactione in querimonia sua. Si vero rusticum compescere non potest, alter fratrum, qui rustico dampnum fecerat, cum eodem rustico super una summa pro dampno resarciendo conveniat, et dominus rustici hanc summam rustico sine dolo persolvat. De hominibus vero suis, qui sunt militaris conditionis, statuerunt, quod eorum querimonie taliter decidantur, ut locus et terminus eis prefigatur infra quindecim dies, et quicquid homines eorum ibi per sententiam iudicaverint, teneant ratum.

 Item statuerunt, ut mater puerorum, si virum alium non duxerit, in omnibus proprietatibus et feudis sedeat libere et quiete et de bonis puerorum, cum consilio hominum ipsis attinentium, puerorum proficuum ordinet et disponat; ita, si unus fratrum obierit, et alter frater, quamdiu fuerit vorunt puerorum, videlicet infra quatuordecim annos, nullos usus de bonis ipsorum recipiet, nisi annuatim centum maldra tritici et siliginis et C avene et quinque carratas vini et decem talenta Herbipolensis monete^b.

^aLies: *secundum*.

^bDieser Satz ist von dem Wort *mater* an zwar von derselben Hand, aber enger und kleiner, auf offen gelassener, oder, wie es eher scheint, ausgeschabter Stelle geschrieben.

III

Item *quitquit* habebunt a puero de Rotenuels erit commune, et dominus G. persolvat puero centum marcas argenti ante festum Pentecostes, nisi de hoc possit habere inducias a puero et ab amicis suis. Similiter dominus C. dabit puero centum marcas, quas pro illo domus Theutonica puero persolvere teneatur ante festum sancti Michaelis.

 Item statuerunt, quod uterque fratrum de Hobenloch usque ad XII annos in Alemannia sit tantummet^c decimus sociorum, quibus omnibus dentur vestes equales. Quod si alter fratrum nimis exaltare voluerit precium vestimentorum, tunc emantur vestes secundum consilium illius qui minus precium pensat. Porro si erunt in Ytalia, de communi consilio tenebunt ibi tot socios quot eis sufficere videbuntur.

 Item statuerunt, quod uterque fratrum ducere debeat in perpetuum clypeum patris sui et baneriam novam.

 Item promissum quod ipsi fratres ante fecerant sic perstare debet, ut qui habuerit in aliqua villa in redditibus minus de uno solido quam alter, nichil sine consensu alterius, qui plus habet, ibidem comparabit.

 Item statuerunt, quod si unus fratrum intrabit aliquod bellum a parte una, alter idem bellum a parte altera non intrabit, et quorum modo sunt adiutores, eorundem adiutores semper permanebunt, nisi forsitan hoc de communi consilio inmutetur.

 Item neuter fratrum aliquod castrum edificabit in episcopatu Herbipolensi sine alterius voluntate, nisi dominus G. de Büttingin et C. pincerna et C. de Smideluelt² et commendator in Mergentheim, quicumque sit ille, discutiant et super hoc concordent, quod idem castrum fratri contradicenti non sit dampnosum; quorum quatuor, si unus medio tempore morietur, communiter alium eligant loco illius.

 Item statuerunt, quod si aliqua lis super aliquo novo casu inter illos oriatur, quod uterque illorum duos de duodecim iuratis hominibus suis eligat, qui quatuor a Mergentheim non exeant, donec super iuramentum suum secundum iusticiam litem novam determinent et decident. Quod si facere nequiverint, ipsi fratres G. et C. stent in bona pace, donec eandem litem dominus G. de Büttingin et C. pincerna de Klinginburc et dominus C. de Smideluelt sua discretione compescant.

 Item sciendum est, quod dominus G. et dominus C. fratres de Hohenloch unanimiter concesserint^d, ut omnes redditus, qui modo serviunt ipsorum matri, post mortem matris serviant claustro in Scheftirsheim per unum annum.

 Item sciendum est, quod dominus G. et dominus C. fratres de Hohenloch amicabiliter abrenuntiaverunt omni rancori et omni querimonia, quam adinvicem habuerunt a tempore mortis patris eorum usque ad presens tempus.
 Item sciant tam futuri quam presentes, quod dominus

^cOriginal: *tantum met*. Die erste Silbe steht auf einer Rasur.

^dSo das Original.

²Schloßschmiedelfeld, Sulzbach-Laufen, SHA.

IV

G. et dominus C. fratres de Hohenloch iuramento astricti promiserunt, quod si dominus G. non servaverit omnes conditiones prescriptas et promissum suum in aliquo violaverit, commonitus quoque infra sex ebdomadas domino C. non satisfecerit, ipse dominus G. proinde perdere debet castrum Hohenloch cum omnibus hominibus et redditibus et aliis attinentiis eidem castro pertinentibus, et dominus C. possidebit idem castrum hereditario iure; preterea dominus G. habebitur pro periuro. Hec contra, si dominus C. non servaverit omnes conditiones prescriptas et promissum suum in aliquo violaverit, commonitus quoque infra sex ebdomadas domino G. non satisfecerit, tunc dominus C. proinde perdere debet castrum Brunekke cum omnibus hominibus et redditibus et aliis attinentiis eidem castro pertinentibus, et dominus G. possidebit idem castrum hereditario iure; insuper dominus C. habebitur pro periuro. Preterea fratres sepedicti super hoc unanimiter convenerunt, ut omnes hee prescripte conditiones stare debeant et servari ab anno in quo convenerunt^e usque ad finem duodecim annorum.

 Testes autem omnium harum conditionum sunt: dominus Andreas et dominus Hdnricus et dominus Albertus, fratres domus Theutonice, et dominus Gotefridus, parochianus de Hohenbach, et insuper duodecim milites prescripti et alii multi. Et ut hec omnia rata permaneant et labente memoria inconvulsa, fratres de Hohenloch G. et C. sepedicti sigillo domini episcopi Herbipolensis et suis sigillis propriis fecerunt presentem paginam communiri.

 Acta sunt hec anno domini M^o. CC^o. XXX^o., indictione III^a., die mensis Decembiis XX^o. VIII^o., regnante gloriosissimo Romanorum imperatore Friderico.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 Von den drei Siegeln, die anhängen sollten, ist nur noch das dritte übrig. Es ist an grün-roten Seidenschnüren befestigt, dreieckig, von bräunlichem Wachs und zeigt zwei übereinander gestellte, schreitende, leopardierte Löwen mit hängenden Schweifen und die Umschrift: + . SIGIL . VM GODEF . IDI . DE . HOHENLO. (M und E gerundet, das letzte H kursiv.) Einige Trümmchen der bunten Seidenstränge, an welchen die beiden anderen Siegel befestigt waren, sind noch durch die Urkunde gezogen.

^eAuch die Worte *in quo convenerunt* stehen, von gleicher Hand, aber enger und kleiner, auf einer Rasur.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HZA Neuenstein

Signatur/Titel des Originals:

GA 5 Schubl. XXXVIII Nr. 1

Überlieferung und Textkritik:

Original. Abschrift in der Sammlung Breitenbach: StA Ludwigsburg JL 495 Nr. 33.

Editionen:

CHRISTIAN ERNST HANSELMANN: Diplomatischer Beweis, dass dem Hause Hohenlohe die Landes-Hoheit, mit denen zu selbiger gehörigen Rechten [...] schon lang vorher zugestanden und in ruhiger Übung zugekommen [...], mit einem Anhang [...] alten Diplomatum und b, Bd. 1, S. 396, Nr. 21. Hanselmann: Diplomatischer Beweis, Bd. 1, S. 582, Lit. B (Faksimile).

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Alemannien
 Bad Mergentheim Wohnplatz (3643)
 Bad Mergentheim, TBB
 Brauneck Wohnplatz (3706)
 Brauneck, Creglingen, TBB
 Büdingen, FB
 Elpersheim Wohnplatz (3874)
 Elpersheim, Weikersheim, TBB
 Enheim, Uffenheim, NEA
 Freudenbach Wohnplatz (3713)
 Freudenbach, Creglingen, TBB
 Hengstfeld Wohnplatz (3470)
 Hengstfeld, Wallhausen, SHA
 Herrenzimmern Wohnplatz (3833)
 Herrenzimmern, Niederstetten, TBB
 Hohenlohe, Simmershofen, NEA, W
 Hollenbach Wohnplatz (2504)
 Hollenbach, Mulfingen, KÜN
 Höttingen, Bütthard, WÜ
 Italien
 Klingenberg am Main, MIL

VI

Reichelsberg, Aub, WÜ, W
 Riedenheim, WÜ
 Rom, Latium, Italien
 Rothenfels, MSP
 Röttingen, WÜ
 Schloßschmiedelfeld Wohnplatz (3424)
 Schloßschmiedelfeld, Sulzbach-Laufen, SHA
 Schwäbisch Hall Wohnplatz (3361)
 Schwäbisch Hall, SHA
 Schäftersheim Wohnplatz (3886)
 Schäftersheim, Weikersheim, TBB
 Seenheim, Ergersheim, NEA
 Seinsheim, KT
 Weikersheim Wohnplatz (3887)
 Weikersheim, TBB
 Würzburg, WÜ